

a Domino aspiceretur, et gallus cantaret, in memoriam sibi revocabat verbum Domini, et amaras profundebat lachrymas. Luc. XXII. 61. Verbum autem Domini: Ter abnegabis me Luc. XXII. 34. non erat Evangelicum sed legale; facillime tamen largior legem gratitudinis erga Dominum valde auxisse et exacerbasse lacrymas Petri. Concio Petri Act. II. qua auditores compungebantur corde v. 37. maximam partem erat Evangelica, sed continebat etiam legem, siquidem Petrus dicebat v. 36. *Jesum, quem vos crucifixistis, Deus fecit Dominum et Christum* Exemplum Alexandri homicidium Clyti deplorantis ob beneficia ab ipso et matre ipsius accepta leges circa beneficia h. e. leges gratitudinis haud obscure innuit. S. R. D. D. LOESCHERVS in Declaratione Treuner. hypoth. (in Relat. Innoc. a. 1710. p. 243.) concedit, poenitentiam regenitorum “ in renovatione quoad facultatem agendi et principium fiendi “ ex Evangelica gratia, quoad principium cognoscendi autem “ ex Lege Evangelio collustrata oriri. “ Idem Vir Celeberrimus in Consilio Irenico num. II. scribit: Intelligantur Primitiae “ univrsim et omnino juxta D. Autoris verba, quae p. 39. seqq. “ leguntur, quod nimirum Poenitentia Primitiarum ex Lege “ Evangelii jubare collustrata nascatur, nec non ex illis p. 37. “ quod argumenti, quo Poenitentia (de qua Primitiae agunt) “ animo inspiratur, propositio major ex Lege depromi debeat, “ ut τὸ esse ex Evangelio (vel successum et nexum habere ab “ Evangelica gratia) non opponatur τῷ esse ex Lege. “ Legem Evangelio collustratam, quae phrasis jam placuerat B. GERHARDO, parum differre a legibus circa Evangelium, jam supra §. XI. observavi. Quae de propositione majore legali, adeoque minore Evangelica, in argumento Poenitentiae dicuntur, plane confirmant meam de legibus circa Evangelium sententiam: Major enim legalis, sed de Evangelio, ita se habet: *Cuicumque Deus summa beneficia obtulit, is acceptare*

C eadem